


Eilhard Lubin Johannes Frisius

**Disputationum De Veritate Religionis Christianae, Ex P. Mornaei, De Eadem Libro
: Decimanona, Quod Quae In Bibliis Maxime Mirabilia Videntur, Ab Ethnicis
Confirmantur, Et Quae Obiiciuntur, Sint Vana**

Rostochii: Reusnerus, 1602

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756649412>

Druck Freier  Zugang



R. U. theol.
Lubinus, Eilh.
d'isp. de veritate relig.
christianae 1-24.
1602:03.
1601-1602

Contenta :

- ① Frid. Cressius, De veritate religionis christianae I 1601
- ② Das. Rezzius, De ver. rel. chr. II 1601
- ③ Hart. Kallerwordatus, De ver. rel. chr. III 1601
- ④ Joh. Buxlinus, De ver. rel. chr. IV 1601
- ⑤ Abr. Drentrot, De ver. rel. chr. V 1601
- ⑥ Joh. Frisius, De ver. rel. chr. VI 1601
- ⑦ Pet. Boethius, De ver. rel. chr. VII 1601
- ⑧ Boc. Hagius, De ver. rel. chr. VIII 1601
- ⑨ Dan. Nicolai, De ver. rel. chr. IX 1601
- ⑩ Joh. Wataham, De ver. rel. chr. X 1602
- ⑪ Joen Vintor, De ver. rel. chr. XI 1602
- ⑫ Werner. Fabricius, De ver. rel. chr. XII 1602
- ⑬ Paul. Fickius, De ver. rel. chr. XIII 1602
- ⑭ Frid. Cressius, De ver. rel. chr. XIV 1602
- ⑮ Das. Rezzius, De ver. rel. chr. XV 1602
- ⑯ Hart. Kallerwordatus, De ver. rel. chr. XVI 1602
- ⑰ Joh. Buxlinus, De ver. rel. chr. XVII 1602
- ⑱ Werner. Fabricius, De ver. rel. chr. XVIII 1602
- ⑲ Joh. Frisius, De ver. rel. chr. XIX 1602
- ⑳ Pet. Boethius, De ver. rel. chr. XX 1602
- ㉑ Dan. Nicolai, De ver. rel. chr. XXI 1602
- ㉒ Joh. Wataham, De ver. rel. chr. XXII 1602
- ㉓ Joen Vintor, De ver. rel. chr. XXIII 1602
- ㉔ Paul. Fickius, De ver. rel. chr. XXIV 1602

Disputationum
DE VERITATE
RELIGIONIS

CHRISTIANÆ,
EX P. MORNÆI, DE
EADEM LIBRO,

Decimanona,
QVOD QVAE IN BI-
BLIIS MAXIME MIRABILIA VIDEN-
TVR, AB ETHNICIS CONFIRMEN-
TVR, ET QVÆ OBIICI-
VNTVR, SINT VANA.

Quam

DEO DVCE ET AVSPICE
PRAESIDE
EILHARDO LVBINO,

*In alma Rosarum Academia defen-
dere conabitur*

IOHANNES FRISIUS,
Neostadianus.

Hora & loco consueto.

ROSTOCHII
Exprimebat Christophorus Reufnerus,
ANNO M. D. CII.

DE VERE
R. B. L. E. F. O. W. S.
CHRISTIAN
A. P. M. O. R. K. W. A. L. D. E.
1707




DE
BIBLIOTHECA
ACADEMIAE
ROSTOCHENSIS

DEO D. I. E. S. A. N. T. I. S.
P. E. T. R. O.
L. I. B. R. A. R. I. O.
L. O. B. A. N. O.
R. O. S. T. O. C. H. I. A. E.
C. A. M. P. U. S. I.
C. A. M. P. U. S. I.

DISPVATIO DECIMANONA.
 QVOD QVÆ IN BIBLIIS MAXIME
 MIRABILIA VIDENTVR, AB ETHNICIS
 CONFIRMENTVR, ET QVÆ OBIL-
 CIVNTVR, SINT VANA.

I.



Vm igitur Deum in scripturis loqui tam apertè videamus, illeq; omnipotens sit; reliquum erat ut illis reverenter credamus & obtemperemus.

2. Interim tamen multi multa obijciunt, & principio postulant sacras literas testimonijs Ethnicorum comprobari, quod æquè absurdum ac si quis Moluccos de Gallis, aut puerum de rebus ante multa sæcula gestis interroget, cum Israelitæ Græcis sint longè antiquiores, à quibus Græci, Orpheus, & Plato Moses Atticus dictus, suam Sapientiam hauserunt.

3. Testatur a. Aristobulus Legem Mosis jam ante Persarum & Græcorum Monarchiam Græcè extitisse. Hecatæus Alexandri Magni miles eadem, & plurima alia de Iudæis testatur, ut & Herennius Philo.

4. Mox rex Ægypti Ptol. Philadelphus instructâ Bibliothecâ consilio Demetrii Phalerzi accitis (per Andrea & Aristæam legatos qui hæc scripto testantur, ad Eleazarum summum Sacerdotem Iudzorum) sex ex singulis tribus Israël interpretibus, sacra Biblia Græcè verti curavit, solemnè ne quid adderetur, auferretur, mutaretur execratione additâ, & didicit illam legem antiquissimam, à Deo latam, & profanis inaccessam fuisse, & ob id non mirum esse illius nullam apud alias gentes mentionem fieri.

5. Testatus etiam Theopompus quosdam scripturas illas Græcâ Eloquentia fucare conatos, vertigine fuisse correptos. Et Theodotus Tragicus, cum suis profanis Tragædijs sacra immiscuit, excæcatus est. Quas scripturas Numenius maximi facit, inq; suis libris magna veneratione citat.

6. Deinde obijciunt Styli simplicitatem, non observantes eloquen-

eloquentiam rhetorem, iudicem verò & regem sermonem gravem & simplicem decere, simplicissimum vero dicendi Characterem illum decere, qui simplicissimus verissimus iudex & rex est, omnes iudices, reges, reos, & subditos æquali infinito intervallo superans. Cuius sermo, quo simplicior hoc etiam o mni homini cui latus est, est accommodatior.

7. Interim scripturæ in suâ simplicitate tam profundam habent altitudinem, ut eius lectione & humiles instruantur, qui illas, quantum ad salutem sufficit, intelligunt, & temerarij miracula illa rimantes confundantur, quorum ratio, quia ab homine intelligi nequit, in sacris non est exposita. Quid? quod historiarum, quæ ijs tractantur veritas styli simplicitate gaudeat.

8. Concitant etiam in suâ illâ simplicitate vehementiores adfectus, quàm ullus Orator omnibus Rhetoricæ ornamentis. Testis Iosephus qui suâ facundissimâ eloquentiâ præ simplicitate verbi Dei in moyendis adfectibus friget. Testis Eloquentissimus Cicero, Demosthenes, Æschines qui omnibus suis Rhetoricæ pigmentis, cum Esaiæ & aliorum prophetarum concionibus collatus evanescit; Testes Paraphrastæ Bibliorum, qui suis verborum pigmentis, nihil vigoris scripturis potuerunt addere.

9. Similitudines in Prophetis simpliciores ex rebus notissimis ad lumen comparatæ sunt, eoq; aptiores, quibus omnia futura ita exprimunt, ut facile pateat ipsos omnia in præsentia vidisse.

10. Hanc ingenuam scripturarum simplicitatem testantur contentores quidam scripturarum Itali, Politianus, Calderinus, & alij, ignorantes quæ Deo oratio conveniret, qui toto vitæ tempore ineptias Criticas, vel obscæna poemata condenda vel explicanda tractârunt, quorum vituperium in laude ponendum est. Et quas tamen scripturas doctiores illis Marsilius Ficinus, & Picus ille Mirandulanus Phœnix sui avi, licet doctissimi & eloquentissimi unice demirati sunt, tanquam genuinam simplicem veritatem fuco & pigmentis non indigam.

11. Quod tertio obijciunt incredibilia in sacris narrari; non considerant illa non de homine, sed de omnipotenti Deo dici, quem saltem illa facere potuisse negare nequeunt. Nec putandum illa ex Poëtis conficta esse, quæ scripta sunt ante quam Poëtæ ul-

re ulli essent, qui suas fabulas ex historijs Biblicis confinxere, ut
veritas mendacio, vera historia ficta quadam fabula necessario
prior est.

12. Ante omnia mirabilis videtur illis creatio, qua admissa
nihil in sacris amplius incredibile occurrit. Atqui illam ante so-
lidissimis fundamentis demonstravimus. Quam Phœnices &
Ægypti fabulosis suis narrationibus de principio, tenebris, Spi-
ritu, Chao, limo ex quo omnia prodierint, approbant.

13. Nec lapsus hominis tot rationibus supra demonstratus,
Iuliano incredibilis videatur, quod Diabolus per serpentem lo-
cutus sit. quem ex stautis, lapidibus, quercu, ulmo, flumine apud
Ethnicos locutum fuisse, non negaverit: qui cum in sua forma
videri nequat, visibili aliqua specie hominem deceperit oportet,
potissimum autem serpentis, cui in terra repenti, & teriam come-
denti homines in cælum erectos per lapsum similes volebat
reddere.

14. Nec incredibile primos homines octingentos & plures
annos vixisse, quod de lunaribus annis intelligi nequit, cum sic
nondum decem annos solares nati genuissent. Fatentur a. hoc
verum esse Manetho, Berosus, Moschius, Hestixus, Hesiodus,
Hecatæus, Acusilaus, Ephorus, addentes illam longævitatem ob-
servandis scientijs, & Astronomiæ imprimis ipsis datam esse.
Quod & Varro testatur.

15. Diluvium porro illud admirabile à potentissimis genti-
bus creditum, & præstantissimis auctoribus celebratum est, quod
singuli retulerunt in illius ætatem, quem antiquissimam puta-
bant, quod etiam Americæ Incolæ non ignorarunt, ob peccata ab
irato numine hominibus immissum, quod Polyhistor & Abide-
nus fabulosè Xysuthro (qui Noha) à Deo Saturno (quem Iudæos
Sabbatū Saturni die celebrantes colere putabant) prædictum es-
se aiunt; qui ipsum arcæ facere iusserit, in qua omne genus anima-
lium reciperet qui à Diluvio servatus emissis avibus, vel ut Plu-
tarchus de Deucalione ait, columbâ, Armeniam cognovit, inq;
illam descenderit. Idem Hieronymus, Berosus, Mnaseas, Phavo-
rinus, Stephanus, testantur.

16. Arcæ etiam capacitas tanta fuisse ab Origene & Buteo-

ne demonstratur, ut capiendis illis animalibus suffecerit. Nec diluuium ad stellarum conjunctionem referendum est, quo tempore Mirandula ostendit ex ratione Astralogicâ conflagrationem potius uniuersi debuisse induci. Historia etiam de Chamo, lapete, ab ipsis Ethnicis plurimis locis probatur.

17. Ad confusionem linguarum quod spectat, ut ratio unum primum hominem, sic unam initio linguam fuisse dicitur, quam in tot linguas Dialectis variatis immutatam non fuisse diversarum linguarum diversissimæ radices & proprietates demonstrant. Nec qui Coloniam in varias partes terræ duxerunt abjectâ vernacula primâ linguâ aliam excogitarunt, quæ res ut ipsis fuisset tædiola & noxia, sic in se est absurda. Confusio ergo illa pœnæ loco à Deo hominibus est immissa.

18. Polyhistor & Abidenus homines terrâ natos inuitis Dijs turrim ad cælum (refer ad incredibilem temeritatem hominum) voluisse tollere tradunt, quæ vi ventorum disiecta, & varietate linguarum ortâ, deserta sit, ædificantibus in Campum Sennaar distractis, unde variatis linguis in varias terræ partes se contulerint. Ex qua historia Gigantomachian Poëtis natam esse factis patet.

19. Sodomorum etiam conflagrationis etiamnum eo in loco reliquæ, in amaro lacu, ripâ asphalticâ, fructibus arborû fuliginosis. Statua etiâ uxoris Lothi adhuc Iosephi ætate fuit conspicua.

20. Abrahamum decima post diluuium generatione in Camerinâ urbe Chaldæa, quæ Vr alias dicta, natum tradit Eupolemus, Deoq; iubente in Phoeniciâ Astronomiam docuisse, quam ab Enocho per manus acceperit, quem Græci Atlantem dixerunt: & quomodo fratrem Lothi redemerit, ob formam conjugis in Ægypto periclitatus sit, Melo duas habuisse cū uxores, ex Ægyptia duodecim liberos, ex Chaldeâ Sara unum Isaac genuisse, ex quo Moses descenderit, ait. Quæ etiam Hecatæus Abderita & Orpheus testantur.

21. Polyhistor fugam Iacobi, migrationem seruitutem, raptum Dinæ, Stragem Sichemensem, Iosephi venditionem, carcerem, liberationem, potentiam, nuptias, congressum cum fratribus & patre in Ægypto describit. Idem testantur Theodotus,

Arta-

Artabanus, Philo, Aristæus, qui historiam Iobi ex Esavo oriundi descripsit. Idem testatur & Manetho.

22. De Mose eadem cum sacris memorat Polyhistor. Artabanus tradit illum à Mœri filiâ Chenephrim sterili adoptatum, Ægyptios leges & literas docuisse, Æthiopas superasse, & ad circumcisionem compulisse, ob suspectum regem in Arabiam secessisse, ubi Raguelis regis filiam duxerit. Regem verò Iudæos vexantem Elephantiasî correptum: cui Deus in igne apparuerit, cuius iussu regem adierit, Israelitas dimitti postulans; à quo in carcerem coniectus portis mirabiliter patentibus denuo regem adierit, qui Dei nomine audito attonitus conciderit. Sacerdotes verò illa ridentes fuisse mortuos. Postea miracula edidisse, virgam in serpentem mutasse, eadem Nilum exsiccasse & inundasse, cum Memphiticis Sacerdotibus miraculis certasse, eosdemq; superasse: Tandem terræ motu populum dimittere regem coëgisse, virgâ mare pervium reddidisse, Ægyptios insequentes fulmine & aquis occidisse, cum populo nive cælesti passio triginta annis in deserto egisse. Et plurima alia.

23. Idem testantur Demetrius, Eupolemon, Manetho, Numenius, qui Iannem & Mambrem Magos miraculis superasse tradit. Etiam in Ægyptiorum exorcismis Dei Hebræorum qui Ægyptios cum rege in mari rubro submersit, facta mentio.

24. Nec vero per Magiam, cuius vanitatem Nero expertus est, hæc Moses fecit, quæ in eius lege tam severè prohibetur. Longe minus per Cabalam, quæ hinc longissimè abest. Reciprocatio etiam maris, cui quidam transitum per mare attribuunt, in sinu Arabico non est. Iustini etiam calumnia quod leprosus leprosus ex Ægypto eduxerit, indigna est refutatione, cum illos lege ab omni hominum consortio excludat.

25. Nec mirum cuiquã videri debet populum in Ægypto tantopere pullulasse, qui consideret quantû intra pauca sæcula familiaria propagari possint, & progressionè Geometricam non ignorat.

26. Iosua Cananeos fugasse Procopius in historia Vandalicâ diserte scribit, quod iosi in Numidiæ urbe Tingit duabus columnis erectis fassi sint. Eupolemus eius historiam ordine ad Samuelem, Saulem, David deducit, quem ad Euphratem usq; mul-

tis

tis subiugatis gentibus imperium duxisse, templi locum à Nathane angelo didicisse, materiam, aurum, cuprum collegisse, sed, quod bello se cruentasset, opus non inchoasse, tradit.

27. Structuram templi Salomonis annales Tyriorum teste Iosepho testantur, quæ etiam Hiram meminerunt, quod & Eupolemus, Polyhistor, Hecateus, Dius testari. Reginam Sabæam Makedam cum Salomone Sapientiâ certasse, ex ipso filium Melich, David postea dictum concepisse, à quo magnum illud Pretiosum Iohannis in Æthiopia imperium sit, Æthiopum historia memorat. Navigationem autem illam triennalem non esse incredibilem Lusitani jam demonstrant, quæ eam sesquianno absolvunt.

28. Transmigrationes Iudæorum ultra Mediam factas testantur Colchi, & Tatai, qui semper circuncisi sunt, in quorum Hordis Dan, Zabulon, Nephtali nomina retinentur.

29. Babylonicæ captivitatis in Iudæa Polyhistor expressè meminit, & Ieremiam illam populo ob Idolatriam Baal prædixisse. Nabuchodonosorem Samariam depopulatum esse, Hierosolyma devastasse, regem Ioaachim abduxisse, quam captivitatem 70 annis durasse Berosus testatur. Megasthenes tradit regem illum postea rabie correptum Babylonij exitium & servitutum à Semi-asino Persa Cyro prædixisse. Quem Cyrum templum restituisse, Polyhistor & Hecateus contestantur.


30. Expeditionis Sefac contra Robeamum meminit Herodotus, ut & Senacherib, à suis interfecti. Siccatem sub Achabo meminit Menander Ephesius in historia Tyriorum, & pluvia Eliæ precibus impetratæ. Ionæ historia multis historicis nota fuit, teste Iosepho. Solem in signum Ezechie datum retrogressum in Babyloniæ & Persicorum Magorum annalibus relatum erat. His & similibus testimonijs externis nulla alia historia munita est.

31. Nec est, quod quis objiciat leges de rebus vilissimis latas, cum creatori nihil vile fuerit, quæ leges ad vitam tum temporis populi accommodantur, ut & in Ethnicorum legibus observatum, cum ruri colendo, cum bellis gerendis intenti erant.

32. Quod a. animalia quædam impura dicunt, ob abusum factum est, & potissimum quod Ægyptij ab illis præfagia sua captarent, eaq; adorarent, ut porcum, rapacia animalia & alia, ut de Allegorijs jam non dicam. Nec mirum interim omnium legum nos rationes ignorare, ut eo magis doceamur Deo obtemperare, in quibus ignorantiam nostram rectius quàm legislatorem accusamus.

33. Ex his nimirum satis perspicuum est scripturas nostras à Deo manasse, quia antiquissimæ, simplicissimæ, gesta Dei, & fœdera cum hominibus tractant, unam Dei gloriam quærunt, & talia singularia continent, quæ nec in angelum, nec in hominem cadunt. In quibus si quid incredibile nobis videatur infirmitati & ignorantie nostræ imputandum. Quas tamen Ethnicorum historie confirmant. Harum literarum auctorieterna sit laus & gloria. Amen.





the scale towards document

ortis fuisse, non, ne crimen detegant, sed ne vir-
ant, ne ipsi quidem hostes Christianorum nē-

tionem illam repentinam, quā Deorum cultus
nt, ad constellationem referunt, quā mundum
z pro diversis cæli imaginibus singulos Plane-
ominari supponunt, quæ vesanorum hominum
Syro satis refutata sit, seq; ipsam explodat re-

climatibus tot regiones, urbes, oppida, familiæ,
imis sæpe religionibus inbuti, quā insaniam suam
Cumq; Planeta climatis religionis Iudaicæ
ligio in totum orbem disseminata est, proprio

as Planetarum conjunctiones Religiones facere
i conjunctiones tantum, alij Iovem tantum, alij Io-
♁ Chaldaicam, cum ☉ Aegyptiam, cum ♀ Mahu-
a, cum ☾ Antichristianam, Addunt a. magnas medias
interq; se de religionis domo variè contendunt (quæ
ex fo) prius inter se insulsi & insani conveniant, an-
postulent.

es à conjunctione Stellarum dependent, cur cum illis
io Christiana tantæ sit durationis, tamq; latè pateat,
nativitatis tempore talem conjunctionem. quod nex
Astrologorum somnio sex esse possint Religiones
m in una familiâ.

nde Religionis Thema erigere debeant à fine eius
ius, quæ oritur aut deniq; legislatoris ipsius Iesu ge-
ptias suas Christianis intolerabiles satis impie pio-

s hominis Genesi Religio, hoc est tot naturæ, regio-
j, Dæmones, affectus animi & mentis, cum vel ipso
on cogant, cum etiam in singulis regionibus aliquis
t.

contemplationum vanitatem eventus ipse manife-
stianam 360. annos duraturam dixerunt, quam Al-
xtendebat, Abraham Iudæus ad 1464, &, suo more

isti per Magiam facta esse contendunt exemplo Si-
nyanæi, Appulei Madaurenfis. Cum Simon vel eo-
is sit, Iesu divinitati concesserit. Et cuius Diabolica
rejecta & cum ipso extincta est.

Apol-